

rim Physicum Democritum, hominem spectatæ auctoritatis, is ergo aduersus diuinationem iocans: quod est, inquit ante pedes nemo spectat, cœli scrutantur plagas. Quintus ecce superuenit præmissis omnibus fide dignior Cato, qui mirari se ait, quod non ridet haruspex haruspicem cum videt: Quod eò spectat, quia tot ineptiis credulos homunculos illudunt, ut occurfus memoriam & risum ex mutua conscientia mouere debeat. Infinita sunt doctorum hominum in hanc sententiam. Hæc raptim ad retrahendum ab his ineptiis adolescentes dixerim, quanquam deliros, similiter senes ineptos videam, qui cum mirari potius deberent, quomodo tandiù membris tementibus vixerunt, consulunt qualiter victuri sint, de morte autem nihil interrogant, quasi illa quia tantùm eos distulit oblita sit. Cæterum de tota hac re, ad vtranque partem conquisitis argumentis & persuasionibus variis, libri duo exstant M. Tullij accuratissimè compositi, qui inscribuntur de Diuinatione: Illi quidem, cui hæc breuiora nos sufficient, adeundi sunt.

DOMI-